

PA 6298

.B3

Copy 1

QUAESTIONES TULLIANAE.

DISSERTATIO INAUGURALIS

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

AMPLISSIMI PHILOSOPHORUM ORDINIS

IN

ALMA LITTERARUM UNIVERSITATE

FRIDERICA GUILIELMA

AD

SUMMOS IN PHILOSOPHIA HONORES

RITE CAPESSENDOS

DIE IV. M. IUNII A. MDCCCLXVI.

H. L. Q. S.

PUBLICICE DEFENDET

CAROLUS BARDT

POSNANIENSIS.

ADVERSARI ERUNT:

R. GRAEBNER, PHIL. STUD.

A. DE SALLET, PHIL. DR.

E. BORMANN, PHIL. DR.

BEROLINI

TYPIS EXPRESSIT GUSTAVUS SCHADE.

[1866]

PA 6298

.B3

THEODORO MOMMSEN

MAGISTRO

L I T T E R A R U M P R I M I T I A S

SACRAS ESSE VOLUIT

C. BARDT.

Cum Ciceronis epistulas iterum iterumque pertractarem, fieri non potuit, quin ad tempus rerum gestarum accuratius constituendum saepe mihi esset quaerendum, quo tempore litterae ex singulis provinciis Romam et inde in provincias essent delatae. Et apud eos quidem, qui ante hoc tempus insignem operam impenderunt in explicandas epistulas, ex una vel altera Ciceronis voce, qua testatur, tot diebus epistulam aliquam redditam esse, concluditur, hoc tempus fuisse legitimum atque solemne; quae ratio quam incerta sit, quis est, quem fugiat? etenim persaepe litterae multo serius delatae sunt, quam poterant, quia litterarum commercium, cum non ut nostro tempore curae esset ipsi rei publicae, administrabatur a privatorum tabellariis. Nemo adhuc omnia, quae de hac re leguntur apud Ciceronem, ita composuit, ut sub uno aspectu ponerentur et inter se collata possent adhiberi ad singularum rerum tempus accuratius constituendum; itaque hunc laborem ego mihi suscipiendum putavi, et priore quidem loco collegi, quae de hac re inveni apud Ciceronem, et in tabulam composui; deinde paucis exemplis demonstravi, hasce minutas res curare, non esse nugatoris potius,

quam hominis rebus historicis operam dantis, sed utilitatis eas habere aliquid et ob ipsum eis non deesse etiam dignitatem.

§ 1.

Commodissimum ideoque frequentissimum erat litterarum commercium, quoties in Tusculano erat Cicero; Tusculum enim non amplius quam duodecim milia passuum aberat ab urbe Roma, ita ut, si mane epistula Roma missa erat, Ciceronis responsum ante vesperam potuerit in urbem referri. Itaque Cicero dicit ad. Att. 13. 18. 1. „Vides propinquitas quid habeat —, colloqui videbamus, in Tusculano cum essem; tanta erat crebritas litterarum. Sed id quidem iam erit.“ Ob eam causam legimus in fine epistolae cuiusdam: ad. Att. 15. 20. 4. „Rescribas velim hodie“; duarum porro epistularum uno die scriptarum fit mentio ad. Att. 19. 53. 1. „Ego, etsi nihil habeo, quod ad te scribam, scribo tamen, quia tecum loqui videor — hodie tuas litteras expectabamus matutinas; erunt fortasse alterae pomeridianae. nisi te Epiroticae impedient.“

Antium, situm in ora maritima, 35 milia passuum ab urbe abest; quo tempore ad Ciceronem illic viventem Roma delatae sint litterae, docent haec verba ad. Att. 12. 37. 1. „A te heri duas epistulas accepi, alteram pridie datam Hilario, alteram eodem die tabellario.“ Legitur haec epistula in earum serie (ad. Att. 12. 35—46), quae scriptae sunt mense Maio anni 709 in Antiati; in eodem praedio scripta est ep. 15. 4, non in Atinati, ut putavit Schuetzius vol. 6. 72, nisi forte lapsu calami pro

Antiati scripsit Atinati vir doctus, ut in eiusdem epistulae titulo Ianuarias Kalendas pro Iuniis appellat. Epistula enim nullo modo potest scripta esse in Atinati, nam quomodo tabellarius, qui a. d. X Kal. Iun. Romae epistulam accepit, eodem die circa horam octavam eam Ciceroni potuit reddere Atinae, quod oppidum recta via ab urbe Roma abest circiter 75 milia passuum? Ad praedium igitur prope Antium situm referenda sunt Ciceronis verba in hac epistula: „ad. Att. 15. 4. 1. X Kal. hora IIX fere a Q. Fufio venit tabellarius —. Mihi duas a te epistulas reddidit, unum X, alteram XI, ad recentiore prius et † leniore.“

Atinam non ita celeriter perferuntur litterae, ut docet prioris epistulae initium: ad. Att. 15. 3. 1. „XI Kalend. accepi in Atinati duas epistulas tuas, quibus duabus meis respondisti; una erat XV Kal., altera XII data; ad superiorem igitur prius.“ Intellegimus igitur Ciceronem, qui fuit hoc tempore in itinere ex Campania in urbem (scripta enim est de prioribus epistulis una e Puteolano, altera ex Sinuessano, tertia ex Atinati), bidui itinere ex Atinati tam prope accessisse ad urbem, ut posset litteras mane Romae datas eodem die accipere.

Paullo longius, quam Atina, ab urbe abest Arpinum, Ciceronis patria; prope hoc oppidum Cicero praedium habebat hereditate a patre acceptum Drum. 6. 388. Semel tantum commemoratur, quo tempore in hanc villam litterae Roma pervenerint; legimus enim ad. Att. 13. 19. 1. „Commodum discesserat Hilarius librarius IV Kal., cui dederam litteras ad te, cum venit tabellarius cum tuis

litteris pridie datis.“ Scriptam hanc epistulam, ut totam epistularum seriem ad. Att. 13. 11—25, esse in Arpinati, docent Ciceronis verba ad. Att. 13. 9. 2 collata cum aliis ad. Att. 13. 10. 3, 11. 1.

Sequuntur Ciceronis praedia, quae erant sita in ora maritima Campaniae et quae omnia non procul aberant a Neapoli; tabellarii, qui Roma litteras afferebant, usque ad oppidum Sinuessam utebantur via Appia; Sinuessa ab urbe abest milia passuum 108 Itin. Anl. edd. Parth. et Pind. p. 50; Neapolis autem a Sinuessa abest milia passuum circiter 20. Tabellarii igitur totum iter milium centum fere triginta, quum solerent pedibus uti, non sane poterant conficere uno die; conficiebant, si admodum celeriter proficiscebantur, triduo, si paullo lentius, quattuor, quinque, sex diebus. Ita Cicero in Pompeiano epistulam quarto die accepit: ad. Att. 14. 17. 1. „In Pompeianum veni V. Non. Mai., cum pridie, ut antea ad te scripsi, Piliam in Cumanum collocavissem, ibi mihi coenanti litterae tuae sunt redditae, quas dederas Demetrio liberto pridie Kal. (29 Apr. — 3 Mai.). Alteram paullo serius accipit, quia tabellarius prius profectus erat in Cumanum, cum Cicero esset in Pompeiano ad. Att. 14. 20. 1. „E Pompeiano navi advectus sum in Luculli nostri hospitium VI Id. hora fere III; egressus autem e navi accepi tuas litteras, quas tuus tabellarius in Cumanum attulisse dicebatur, datas Nonis Maiis“ (7—10 Mai.). In eodem praedio duas epistulas quarto et sexto die accipit: ad. Att. 14. 19. 1. „Non. Mai. cum essem in Pompeiano, accepi binas a te litteras, alteras sexto die, alteras quarto.“ Iusto quidem lentius pro-

fectus erat tabellarius de quo queritur Cicero ad. Att. 14. 13. 1. „Septimo denique die mihi litterae redditae sunt, quae erant a te XIII Kal. datae.“ Alterum laudat propter celeritatem ad. Att. 14. 18. 1. „Atque ego ad eum VIII Idus litteras dederam bene mane; eodem autem die tuas litteras vesperi acceperam in Pompeiano, sane celeriter, tertio abs te die.“ Citius afferebantur epistulae, si Atticus propius accedebat ad Campaniam, ut fecit anno 710, cum Brutus esset Lanuvii ad. Att. 14. 20. 1. „A Lucullo postridie (11. Mai.) eadem fere hora veni in Puteolanum, ibi accepi duas epistulas, alteram Nonis, alteram VII Idus Lanuvii datas.“ Incertum est, num utraque epistula sit Lanuvii data, an prior, quae quarto demum die Ciceroni reddita est, Romae. De duabus epistulis item in Puteolano acceptis narrat Cicero ad. Att. 16. 11. 1. „Nonis accepi a te duas epistulas, quarum alteram Kalendis dederas, alteram pridie“; Nonae sunt Novembres anni 710; altera igitur quarto die reddita est, altera quinto.

Postquam tot exemplis docui, nunquam epistulam ullam in Campaniam prius pervenisse, quam tertio die, quin etiam, si quando delata est tertio, expressis verbis commemorari, tabellarium non usitatam celeritatem adhibuisse, videamus, quae sit res de epistula 17. libri 15 ad Atticum, quam putant commentatores, quantum equidem vidi, omnes, scriptam esse in villa, quam habuit Cicero ad lacum Lucrinum¹⁾, prope Cumas. Incipit

¹⁾ Monitus sum, Gruberum verum iam vidisse in commentatione de tempore ac serie Ciceronis epistularum (Sundiae 1836) p. 30; itemque p. 38 de „L diebus“, de quibus egi p. 33.

autem epistula sic: „Duas accepi postridie Idus, alteram eo die datam, alteram Idibus.“ Harum igitur altera eodem die, altera insequenti reddita est, multo igitur celerius, quam illa, quam „sane celeriter“ Cicero dicit esse delatam, et hic nullum verbum de celeritate! Haec ut removeatur difficultas, non licet conicere, Atticum fortasse non Roma has litteras misisse; etenim in ipsa epistula Cicero ita cum eo agit, ut appareat, eum Romae fuisse et illic, ut solebat, rem familiarem Ciceronis administrasse. Quaeritur autem, unde compertum habeant commentatores, epistulam ad lacum Lucrinum esse scriptam. Eorum argumentatio, ni fallor, haec est: commemoratur in his epistulis „ῥωπογραφία ripulae“ ad. Att. 15. 16*b*., et alio loco ad. Att. 15. 18 dicit Cicero „cum profectus essem et in lacu navigarem, Tironem statui ad te esse mittendum.“ Constat autem Ciceronem habuisse villam in illius lacus littore Drum. 6. 392. 71, — ergo putant totam epistularum seriem, quae est scripta ab eo tempore, quo Tusculanum reliquit, usque ad id, quo eo rediit, scriptam esse in villa ad Lucrinum, excepta ea solum, quam expressis verbis Cicero significat scriptam esse Antii ad. Att. 15. 11. — Exeunte Maio anni 710 Cicero profectus erat e Campania, a. d. XV Kal. Iun. (18 Mai.) reliquerat Sinuessanum (ep. 2), a. d. XI Kal. Iun. (22 Mai.) ex Atinati scripsit Attico, se in Tusculano fore VI Kal. Iun. (27 Mai.) ep. 3. Circa hoc tempus re vera Cicero eo videtur pervenisse; certe fuit in Tusculano, cum epistulam octavam scriberet, dicit enim, sibi plures villas esse visendas, quia audisset, homines comparari, qui armati in

Tusculanum mitterentur. Profectus igitur est ex hac villa circa Kalendas et Antii erat VI Id.; ubi insequenti tempore fuerit, non satis constat; constat autem, eum non fuisse in Campania, cum epistulam vicesimam scriberet, legimus enim in ea: „De Fadio, ut scribis, utique alii nemini; rescribas velim *hodie*.“ Equidem crediderim, hanc epistulam in Tusculano esse scriptam, etenim paullo post certe fuit in illo praedio, unde profectus est prid. Idus Quinct. (ep. 25). Res igitur haec est: Antii fuit Cicero VI Idus, in Tusculano fuit aliquot dies ante Kalendas Quinctiles, nam non paucas epistulas habemus inde missas. Iam qui putant, ep. 17 esse scriptam in littore Lucrini, Ciceronem breviter ante Idus in Campaniam proficiscentem faciunt magna adhibita celeritate, et statim redeuntem, — et de toto itinere ne unum quidem verbum exstat, nisi illud de lacu. Faciunt insuper tabellarium maiore sane, quam Caesarina celeritate in Campaniam volantem; — et tam multa mirabilia efficiunt ob eam solam causam, quia Cicero dicit, in lacu quodam se navigasse, quasi vero nusquam in Italia lacus esset, nisi prope Cumas. Hoc igitur puto omittendum, ep. 17 scriptam esse ad Lucrinum; et credendum, nec hanc, nec ullam aliam ex hac serie epistularum in Campania esse scriptam, quia verisimile est, hoc tempore Ciceronem omnino non fuisse in Campania¹⁾. Ubi scripta sit ep. 17, incertum est: non in

¹⁾ Ne quis mihi opponat, oportere tamen Ciceronem hoc tempore fuisse in Campania propter epistulam 13, aperte scriptam vel in Pompeiano, vel in Puteolano, hoc loco dicendum puto, de eius epistulae tempore me plane assentiri Schuetzio,

Tusculano, ut docet ipsa epistula; fortasse in Antiati, certe in oppido aliquo, vel praedio, quod non 25 milia geogr. aberat ab urbe Roma.

Praeter haec testimonia sane non pauca, quae docent, quo tempore epistulae delatae sint in singula Ciceronis praedia, perpauca inveni, unde intellegatur, quo tempore ex altera Italiae urbe in alteram pervenire consueverint; non tamen praetereunda sunt ea, quae legimus de litterarum commercio, quod erat anno 705 inter Ciceronem et Pompeium. Pompeius enim, cum esset Luceriae, a. d. IV Id. Febr., vel proximo die Ciceroni scripsit, ut quam primum ad se Luceriam veniret. ad. Att. 8. 11. A.; haec epistula Ciceroni reddita est Formiis a. d. XV Kal. Mart. (10—15 Febr.) ad. All. 8. 11. B. Absunt Formiae a Luceria recta via 100 milia passuum, secundum igitur id, quod supra docui, litterae tertio die poterant deferri; haec autem epistula Ciceroni reddita est quarto, vel quinto die. Qua accepta ipse scripsit Pompeio, qui epistulam accepit ante a. d. X Kal. Mart. Canusii, hoc enim (20 Febr.) die ipse alteram dedit ad Ciceronem, quae illi reddita est a. d. III Kal. Mart. (27 Febr.). Abest autem Canusium a Formiis recta via 28 milia geogr., tabellarii tamen procul dubie utebantur itinere per Capuam et Equum Tuticum, quod est milium passuum 173. Itin. Ant. p. 50, 51, 53 ed. Parth. et

qui egregie intellexit, quod Ernestium et ipsum Manutium fugerat, hanc ep. exeunte Oct. esse scriptam et minime pertinere ad hanc epistularum seriem, scriptam mense Iunio. Schuetzii sententiam, quamquam silentio praeteriit, re tamen omnino probavit Drum. 1. 199. Schuetz. vol. 6. 194.

Pind. — Altera igitur epistula reddita est octavo die, altera, quae propter brevitatem temporis interpositi inter diem quintum decimum et vicesimum necessario statim post acceptam priorem Ciceronis scripta est, sexto die¹⁾.

Litterae quo tempore in Siciliam delatae sint, in ipsis epistulis equidem nusquam inveni, sed exstat Ciceronis narratio de itinere, quod P. Clodius anno 695 Romam fecit a freto Siculo. ad. Att. 2. 1. 5. „Iam cum se ille septimo die venisse a freto, neque sibi obviam quemquam prodire potuisse et noctu se introisse dixisset in eoque se in contione iactasset, nihil ei novi dixi accidisse: ex Sicilia septimo die Romam, Roma tribus horis Interamnam.“ Hoc lepidum Ciceronis dictum si recte intellegimus, discimus ex eo, iter ex Sicilia maiore tempore solitum esse confici. C. Cassinius Schola enim coram iudicibus testatus erat, se eo die, quo P. Clodius dicebatur fuisse in domo Caesaris cum veste muliebri, collocutum esse cum eo Interamnae; Cicero autem iurarat, tribus horis ante, quam hoc factum esse C. Schola affirmarat, se Clodium Romae vidisse; necesse igitur erat, si utrumque verum erat, eum iter 65 milium passuum tribus horis confecisse Itin. Ant. p. 58 ed. Parth. ed. Pind. Drum. 2. 212. 19. Iam Cicero „quid mirum?“ inquit, quod tam celeriter ex Sicilia Romam pervenit Clodius, quippe qui multo maioris celeritatis documenta dederit, cum tribus horis Romam Interamna profectus sit?“ Aperte lepidum hoc dictum aculeo

¹⁾ De Brundisio vide paginam 22.

privatur, nisi mira et admirabilis erat Clodii itineris celeritas. Non inepte igitur licebit conicere, tabellarios, qui non ut nobiles Romani commode proficiscebantur, sed quam celerrime, septem diebus consuevisse conficere iter ex Siciliae partibus non nimis remotis in urbem Romam.

Duo afferam testimonia, quae docent, quo fere tempore potuerint litterae deferri ex Gallia Cisalpina Romam. Primum cum D. Brutus Mutinae oppugnaretur ab Antonio, Cicero epistulam ad eum misit, cuius initium hoc est: ad. Fam. 11. 6. 1 „Lupus noster cum sexto die Mutina venisset, postridie me mane convenit tuaque mihi mandata diligentissime exposuit et litteras reddidit.“ Abest Roma a Mutina, si quidem via Flaminia tabellarius Ariminum usque utebatur, milia passuum 317 Itin. Anl. p. 47, 59 ed. Parth. et Pind. Paulo longiore tempore paullo brevius iter confecit tabellarius, qui nuntium de victoria apud Forum Gallorum reportata anno 711 Romam attulit. Victus est illic M. Antonius a. d. XVII Kal. Mai. ad. Fam. 10. 30. 1; litterae igitur ab A. Hirtio publice missae (14. Phil. 1, 5, 8) aut eodem die scriptae sunt, aut postridie eius die; recitatae autem sunt in senatu, siquidem pro corruptis Ciceronis verbis „per Idus Quinct.“ legimus, quod supeditavit liber Tegernseensis: „Me Parilibus“, id est XI Kal. Mai. 14. Phil. 5. 14, septimo, vel sexto die¹⁾. Haec habui dicenda de Italia eisque provinciis, quae ipsius quasi appendiculae sunt; pergo nunc ad provincias occidentem versus sitas.

¹⁾ De victoria Mutinensi Romae audita vide p. 19.

§ 2.

Ac primum quidem quo tempore ex Gallia Transalpina litterae Romam delatae sint, docent haec verba ad. Att. 14. 9. 3 „Idem Balbus meliora de Gallia; *XXI die litteras habebat*; Germanos illasque nationes re audita de Caesare legatos misisse ad Aurelium, qui est praepositus ab Hirtio, se, quod imperatum esset, esse facturos. Quid quaeris? Omnia plena pacis, aliter ac mihi Calvena dixerat.“ Haec verba procul dubio referenda sunt ad tempus, quo litterae allatae sunt, nec aliter credibile est ea intellexisse Manutium, virum de Ciceronis epistulis vel optime meritum, quamquam eius nota ita scripta est, ut imperitos possit fallere. Hi enim possunt putare, Manutium facere Ciceronem dicentem: „Matius, quod tibi scripsi octava ante hanc epistula, ante decem circiter dies, minus diebus XX tumultum Gallicum.“ Sed hoc plane est ineptum et non ad ea, quae octava epistula ante hanc Attico scripsit Cicero referenda sunt haec verba, sed ad ea, quae scripsit in eis, quibus proxime succedit nostra. Legimus enim in octava epistula: „Quid Galli, quid Hispani, quid Sextus agat, vehementer exspecto“ et in quinta: „Illa signa non bona, quod cum signis legiones veniunt ex Gallia.“ Nunc, ut ex Ciceronis verbis de die vicesimo primo possit aliquid concludi, quaeram de tempore epistulae nonae, quo constituto simul intellegetur, dierum rationem minime congruere cum illa quam modo vituperavi, sententia. Scripta autem est haec epistula post octavam, quod intellegitur collatis verbis, quae in utra-

que leguntur de tumultu Gallico; octava autem scripta est non ante a. d. XVII Kal. Mai., hoc enim die Cicero scribit, se novissimam Attici epistulam accepisse ad. Att. 14. 8. 1. Porro ep. 9 scripta est ante decimam, quia in priore nuntiatur, Balbum esse in illis regionibus, in decima ita verba de eo fiunt, ut appareat, Atticum iam ex priore epistula scivisse, Balbum esse cum Cicerone. Decima autem non scripta est ante a. d. XIV Kal. Mai. quia Balbi sermonem cum C. Octavio illo die habitum commemorat, et non post a. d. XIII Kal. Mai., etenim duodecima scripta est a. d. X Kal., undecima autem, scripta ante duodecimam, ut docent ea, quae de Octavio narrantur, composita est tertio die post priorem; duodecima igitur a. d. X Kal., undecima XI Kal., decima a. d. XIII Kal., et nona post a. d. XVII, non post a. d. XIV scripta est (16—18 Apr.). Hinc sequitur, ut litterae, quas Balbus accepit, non datae sint post a. d. VI vel a. d. IV Kal. Apr. (27, 29 Mart.). Jam si meminerimus, etiamsi a. d. IV demum scriptae sint litterae ad Balbum, tamen brevi tempore opus fuisse ad legatos mittendos, sequitur, ut nuntium Galli de caede tyranni certe non acceperint post a. d. VI Kal. Apr. (27 Mart.), id est duodecimo die post ipsam caedem (15—27 Mart.). Duodecim igitur diebus tabularii poterant pervenire in Galliam septentrionalem, hanc enim per legatos Hirtius administravit anno 710 Drum. 3. 71. Insolita re vera et admiranda est eiusmodi celeritas, nec tamen incredibilis, si consideraris, quam ingentis momenti fuerit hic nuntius. Non multum igitur a vero aberrabo, si statuo, minus quam 15 die-

bus, etiamsi satis festinarent, hoc iter a tabellariis non solitum esse confici.

Breviore sane tempore poterat perveniri Roma in meridionalem Galliae partem; hoc ut exemplis comprobem, agendum est de Planci epistulis scriptis anno 711. — D. Brutus inde a mense Decembri anni 710 (Drum. 1. 288) oppugnatus est Mutinae ab Antonio; L. Plancus interea fuit in provincia sua Drum. 3. 686 ultra Rhodanum ad. Fam. 10. 9. 3, expectaturus scilicet, quae nam partes futurae essent superiores. Cicero iam cum esset Romae M. Antonius, iterum iterumque litteris cohortatus erat Plancum, ut desertis Caesarianorum partibus faveret Antonii inimicis. Plancus, ut erat prudentissimus et callidissimus, tum demum epistulas Ciceroni remisit, cum nullum iam erat periculum, ne ab Antonio interciperentur, et publicas omnino non misit (ad. Fam. 1—4); ut in utramque partem viam sibi apertam servaret, interim per legatos suos, qui forte Romae erant, egit cum Cicerone, promisitque, se eius partes de consilii sententia, si ad arma ventum esset, amplexurum; quod idem sive per eosdem, sive per alios internuncios Antonio consuli procul dubio promisit; publicos vero litteras per satis longum tempus omnino non misit. Tandem, cum iam ortum esset bellum, ne senatui suspecti fierent, neve tamen Antonium offenderent, Lepidus et Plancus litteras Romam miserunt pacem suadentes, quae a. d. XIII Kal. Apr. recitatae sunt in senatu; de tempore accurate egit Drumannus 1. 282. Plancus, ut suo modo in utramque partem tutus esset, M. Furnium, qui iam antea cum mandatis imperatoris

Romae fuerat, denuo misit in urbem (ad. Fam. 10. 6. 1, 8. 5) eique commendavit, ut, si quem offendissent litterae publicae, sermone et oratione privatim et publice mitigaret animos. Sane in ineptissimum tempus incurrebant litterae pacem suadentes, cum modo alter quoque consul ad exercitum profectus esset et cotidie exspectaretur nuntius de pugna aliqua commissa. Fieri igitur non potuit, quin in malam partem acciperentur et minime Planco conciliarent gratiam atque favorem senatus. Quod cum intellexisset Furnius, et senatui privatimque Ciceroni exposuit, re vera Plancum deditum esse toto animo rei publicae saluti ad. Fam. 10. 6. 1, et statim suas Ciceronisque litteras misit ad Plancum, eumque cohortatus est, ut quam celerrime novis litteris publicis in gratiam sese restitueret. Tabellarii hasce epistulas ferentes profecti sunt Roma a. d. XIII Kal. Apr., et M. Varisidius, qui Planci responsa et novas litteras publicas (ad. Fam. 10. 7, 8) attulit, Romam venit VII Id. Apr. ad. Fam. 10. 12. 2. conf. 10. 7. 1. Duplex igitur iter Roma usque in Galliae partem ultra Rhodanum sitam confectum est diebus undeviginti. Cum igitur tempus fuerit brevissimum et Plancus ideo acceptis litteris moram potuerit facere nullam, sequitur, ut epistulae ad. Fam. 10. 7 et 8 scriptae sint a. d. III Kal. Apr., vel pridie, vel postridie. — His litteris callidissime scriptis Plancus periculum a suo capite amovit et convertit in senatum imprimisque in Ciceronem, qui nihil magis cupiebat, quam ut ei, qui exercitibus praeessent, proprio consilio rem publicam liberarent, neve exspectarent senatus iussa. Conf. ad. Fam. 11. 7. 2, 10. 16. 2, 10. 10. 2.

„Quam ob rem, mi Plance, incumbere toto pectore ad laudem, subveniri patriae, opitulare collegae.“ Haec verba scripta sunt a. d. III Kal. Apr., id est, post acceptas priores litteras Planci, quibus pacem commendabat, ante acceptas alteras ad. Fam. 10. 8; haec ipsa Planci epistula missa ad senatum docet, a. d. XIII Kal. Apr., cum ageretur de Planci rebus, nondum decretum esse, ut subveniret Bruto. Iussum autem eum esse, auxilio venire collegae docent haec Polionis verba: ad. Fam. 10. 33. 1. „Utinam eodem senatusconsulto, quo Plancum et Lepidum in Italiam arcessistis, me quoque iussissetis venire“, et firmatur et comprobatur Dionis testimonio Dio. 46, 29, conf. Zon. 10. 15. Dio. 46. 38. Itaque verisimile est, in illis actis, quae ad Plancum missa sunt, postquam ab a. d. VII Id. Apr. per triduum (7, 8, 9 Apr. ad. Fam. 10. 12. 3—4) actum de eo est, fuisse hoc senatus consultum. Hac re nuntiata Plancus non rescripsit quidem statim senatui, sed rumores Romam pervenerunt, eum profectum esse et firmas habere copias. Hic rumor Romam pervenit „biduo ante victoriam“, scilicet ante nuntiatam victoriam ad. Fam. 10. 14 (scripta est epistula III Non. Mai. 5 Mai.). Nuntius autem de victoria non eo ipso die, quo Cicero scripsit, Romam videtur pervenisse, recenti enim laetitia elatus et fusius et magis oratorum genere dicendi usus scripsisset Cicero; nuntius igitur de pugna commissa certe Romam non allatus est post diem octavum; cum sexto die, ut supra vidimus Mutina Romam potuerit perveniri, non sane verisimile est, tanti momenti nuntium octavo demum die allatum esse.

Non putavi silentio praetereundum, quod legimus de epistula a D. Bruto ad Plancum missa. Legimus autem bis apud Ciceronem, D. Brutum Idibus Maiis epistulam accepisse a Planco ad. Fam. 11. 14. 3, 10. 20. 2. Verisimillimum est, hanc relatam esse a Brubi tabellario, qui Bruti epistulam ad Plancum tulit datam prid. Non. Mai. ex finibus Statiellensium ad. Fam. 11. 11; si ita est, nono die redux erat a Planco; sed hoc minus certum est, quia potest dubitari, num re vera Planci epistula responderit illi Bruti, datae prid. Non.

Britanniam hoc loco praetereo, quia inferiore loco, cum agam de Gabinii iudicio, mihi erit disputandum de litteris ex Britannia Romam delatis.

Expressis quidem verbis nusquam legitur in epistulis, quo tempore in Hispaniam tabellarii pervenerint, sed et apud alios scriptores quaedam inveni, quae nonnullum usum habent ad hanc rem diiudicandam, et ex quibusdam epistularum locis nonnihil potest concludi. Primum satis compertum habemus, quo die nuntius de pugna apud Mundam commissa Romam pervenerit. Vicit Caesar Liberalibus b. hisp. 31. „Ita ipsis Liberalibus fusi fugatique non superfuissent, nisi in eum locum fugissent, ex quo erant egressi.“ Plut. Caes. 56. Drum. 3. 636. Romae autem audita est victoria pridie Parilia Dio. 43. 42. „τά τε Παρίλια ἵπποδρομῖα ἀθανάτων, οὔτε γε καὶ διὰ τὴν πόλιν, ὅτι ἐν αὐτοῖς ἔκτιστο, ἀλλὰ διὰ τὴν τοῦ Καίσαρος νίκην, ὅτι ἡ ἀγγελία αὐτῆς τῆ· προτεραιῖα πρὸς ἐσπέραν ἀφίκετο, ἐτιμήθη.“ Marqu. Ench. 4. 164. Die igitur tricesimo quinto tabellarii Romam pervenerunt, qui litteras de victoria attulerunt. Cum

hoc non male congruunt, quae Polio Ciceroni scribit ad. Fam. 10. 33. 5. „Maxime tamen doleo adeo et longo et infesto itinere ad me veniri, ut die quadragesimo post, aut ultra etiam, quam facta sunt, omnia nunciarentur.“ Monendum hic est, in Hispaniam et navi et pedibus potuisse perveniri; tutior ab inimicis et celerior erat navigatio, quam iter terrestre, sed necessario hiemali tempore intermittebatur; terrestre iter erat multo longius et periculosius. De hac re apud ipsum Polionem haec legimus: ad. Fam. 10. 31. 1. „Itaque nisi nave perlatae litterae essent, omnino nescirem, quid istuc fieret. Nunc vero nactus occasionem, postquam navigari coeptum est, cupidissime et quam creberrime scribam ad te.“ Praeterea exstant testimonia, quo tempore Caesar ad bellum Mundense gerendum profectus sit in Hispaniam; iam supra semel adhibui id, quod de nobilis cuiusdam Romani itinere traditum est; hoc saepius non feci, quia eiusmodi dierum numeri tum tantum aliquem usum habent ad meum propositum, cum constat, hos viros quam celerrime esse profectos; etenim per se patet, nobiles viros multo lentius et commodius proficisci consuevisse, quam tabellarios; — Caesaris celeritas tanta erat, ut proverbii loco adhiberetur ab aequalibus; satis erit monere Ciceronis verborum ad. Att. 16. 10. 1. „Aiunt enim, eum (Antonium) Caesarina uti celeritate.“ conf. ad. Att. 12. 51. 2. Imprimis admirabantur huius itineris Hispaniensis celeritatem Suet. Caes. 56. „Novissimum (librum, qui inscribitur iter), dum ab urbe in Hispaniam ulteriorem quarto et vicesimo die pervenit.“ De eo, quod nonnulli auctores sunt, 27 diebus

Caesarem hoc iter confecisse (Strab. 3. 160, App. b. c. 2. 103, Dio. 43. 32), confer Drumanni notam 3. 633. Praeterea commemoratur quidem ad. Att. 13. 20. 1 dies, quo Caesar Hispali litteras consolatorias misit ad Ciceronem, sed parum constat, quando Romam pervenerint.

Ex Africa, quam provinciam annis 710 et 711 obtinuit Q. Cornificius, epistulam Romam allatam esse vicesimo die, scribit Cicero ad. Fam. 12. 25. 1. „Liberalibus litteras accepi tuas, quas mihi Cornificius altero et vicesimo die, ut dicebat, reddidit“; num hoc solemne fuerit tempus, an litterae vel lentius vel citius solitae sint deferri, parum constat, quia desunt alia exempla, cum quibus hoc tempus possit comparari.

§ 3.

Iam absoluto occidente converto me ad orientem, id est ad Graeciam, Asiam, Syriam. Ac primum quidem testimonium mihi afferendum est auctoris epistularum ad M. Brutum, quae, quamquam minime scriptae sunt a Bruto et Cicerone, tamen compositae sunt a falsario antiquissimo et ab homine, qui poterat scire, quo tempore Ciceronis aetate litterae delatae essent ex Graecia Romam; itaque hoc testimonium non putavi spernendum. Ps. cic. ad. Brut. 2. 4. 1. „Datis mane a. d. VI Id. Apr. Scaptio litteris, eodem die tuas accepi datas Kal. Apr. Dyrrhachio vesperi.“ Sane celerrime profectus est hic tabellarius, septem enim diebus confecit praeter navigationem Dyrrhachio Brundisium milia passuum 362 ($72\frac{1}{2}$ mil. geogr.) Pind. et Parth. Itin. Ant. p. 49, 51, 53. Ceterum ex his verbis hoc quoque in-

tellegitur, iter Roma Brundisium, quod Q. Horatius confecit decem diebus, posse confici diebus non pluribus, quam sex.

Patris cum M. Tiro aegrotus a Cicerone esset relictus, Brundisium ad patronum litteras misit datas Idib. Novembr. anni 704, quae Ciceroni redditae sunt a. d. V Kal. Dec. (13—27 Nov.) ad. Fam. 16. 9. 2. In eis, quae modo afferam, non est mirandum, quod vehementer inter se differunt numeri dierum, etenim non totum iter erat terrestre, navigandi autem cum omnes antiqui populi, tum Romani non ita erant periti, ut etiam in tempestate hiemali et vento minus secundo ausi sint sese mari committere. Ita scimus, tabellarios Roma Athenas potuisse quidem pervenire diebus XXI; sed scribit Cicero filius ad. Fam. 14. 5. 1. „Cum vehementer tabellarios exspectarem cotidie, aliquando venerunt post diem XL et VI, quam a vobis discesserant, quorum mihi adventus fuit optatissimus.“ Sic scribit Cicero filius; de epistula die vicesimo primo allata ipse Cicero scribit ad. Fam. 14. 5. 1. „Pridie Idus Octobres Athenas venimus, cum sane adversis ventis usi essemus tardeque et incommode navigassemus. De nave exeuntibus Acastus cum litteris nobis praesto fuit, uno et vicesimo die, sane strenue.“ Sed etiam per quartam fere anni partem litterae erant in itinere, ut Attici epistula, quam tamen non tabellarius, sed Attici familiaris secum tulit ad. Att. 1. 20. 1. „Cum e Pompeiano me Romam recepissem a. d. III Idus Maias Cincius noster eam mi abs te epistulam reddidit, quam tu Idibus Febr. dederas.“ Erat autem illo tempore in Graecia Atticus. Drum. 5. 13.

Diutius erit commorandum in Asia et Cilicia provincia, quia uberrima subministratur materia; exstant enim permultae litterae scriptae a Cicerone, cum pro consule Ciliciam obtineret annis 703 et 704, et non paucae, quae Roma hoc tempore ad eum sunt missae. Proficiscendum hic quoque puto ab eis locis, ubi expressis verbis scriptum invenimus, tot diebus epistulam aliquam delatam esse in Asiam. Et feliciter quidem contingit, ut ipsius Ciceronis testimonio compertum habeamus, quo tempore, si celeriter tabellarii proficiscebantur, potuerint in Asiam pervenire. Scribit enim ad. Att. 5. 19. 1. „Obsignaram iam epistulam, quam puto te modo perlegisse, scriptam mea manu, in qua omnia continentur, cum subito Appii tabellarius a. d. XI Kal. Oct. septimo et quadragesimo die Roma celeriter — hui quam longe! — mihi tuas litteras reddidit“ (2 Sext. — 20 Sept.). Hinc licet conicere, si commemoratur, epistulam aliquam celeriter allatam esse, numerus dierum tamen non affertur, tabellarium per paullo brevius tempus, quam per quinquaginta dies fuisse in itinere. Ita fit, ut accuratius, quam antea factum est, possit constitui tempus triumphi a P. Lentulo Spinthere acti; dicit enim Cicero in epistula scripta Idibus Februariis anni 704 (ad. Att. 5. 21. 9) i. i. § 4. „Acceperam autem satis celeriter Iconii per publicanorum tabellarios a Lentuli triumpho datas.“ Sequitur igitur, ut extremis diebus mensis Decembris triumpharit Lentulus. Conf. Drum. 2. 541.

Non multo lentius profectus est tabellarius, qui eam Attici epistulam attulit, de qua loquitur Cicero ad. Att. 5. 18. 1. „Quam vellem, Romae esses, si forte non es! Nihil

enim certi habebamus, nisi accepisse nos tuas litteras a. d. XIII Kal. Sext. datas.“ Ex his ipsis verbis intelligitur, per nonnullos dies Ciceronem Roma nuncios non accepisse, necessario igitur ea Attici, quam commemorat, epistula aliquot dies ante allata est, quam suam scripsit. Scripta autem est ep. 18 post a. d. XIII Kal. Oct., etenim in ipsa commemorantur litterae publicae, quas legimus ad. Fam. 15. 1, in quibus senatui narrat, a. d. XIII sese nuntium accepisse, Parthos transisse Euphratem; scripta autem est ante a. d. XI Kal. Oct., hoc enim die advenerunt Attici litterae, de quibus verba feci paullo superiore loco, cum modo obsignata esset ep. 18. Scripta igitur haec est aut a. d. XII, aut a. d. XI Kal. Oct.; et Attici epistulam, cum nonnullis diebus ante allata sit, Cybistra pervenisse verisimile est circa Idus Septembris, confecit igitur iter quinquaginta circiter diebus. Hoc, quod modo exposui non parvi mihi videtur esse momenti, quia inde discimus et, quo fere tempore Parthi fugati sint a C. Cassio, et quae sit Ciceronis fides narrantis de his rebus. Constat enim, nuntium de Parthis a Cassio victis Romam pervenisse Nonis Oct., vel pridie ad. Att. 5. 21. 2. „Quo autem die Cassii litterae victrices in senatu recitatae sunt, id est Nonis Oct., eodem meae tumultum nuntiantes. Axius noster ait nostras auctoritatis plenas fuisse, illis negat creditum.“ Non paullo longius ab urbe abest Antiochea, quam Cybistra, litteras igitur inde Romam prius delatas esse, quam Cybistra, non est credibile. Itaque pugna contra Parthos non potest facta esse post Kalendas Sept., victi potius illi sunt exeunte Sextili, non, ut videbatur Dru-

manno, mense Septembri; de hac pugna etiamsi minus certis tutisque itineribus proficiscerentur tabellarii in illis regionibus, tamen necesse est, Ciceronem prius certiorum esse factum, quam senatum. Et procul dubio rem pro certo scivit, cum proficisceretur Tarso Non. Oct., quamquam in epistula postridie missa simulat se incertum tantum rumorem accepisse, nihil iam esse timendum ad. Fam. 3. 8. „De Parthis quod quaeris, fuisse nullos puto; Arabes qui fuerunt, admixto Parthico ornatu, dicuntur omnes revertisse.“ Jam si statuimus, Ciceronem iam Cybistris cum esset (ubi fuit per totum fere mensem Sept.), certiorum factum esse de Parthorum fuga, sed nihil de hac re Romam nuntiasse, omnia plana fiunt, quae antea mira videbantur et paene incredibilia; tum intellegimus, cur subito tantum animi accesserit consulari non nimis bellicoso, ut, cum antea epistulam nullam misisset, quin tremere de Parthis, quin affirmaret, suas copias minime esse idoneas, quae illorum exercitui resisterent, postea, cum hostem audisset nullum iam esse in Syria, statim castra moverit Tarsum et inde in Amanum. Atticum, ut Drumannus iam recte monuit, vult credere, se appropinquante Parthos territos esse, Cassio animum accessisse et ita hostes victos esse; paullo verius, non plane vere, ut putavit Drumannus, scribit Catoni, cum in Amanum venisset, se audisse, Parthos iam esse victos, namque verisimillimum est, eum Parthorum cladem scivisse prius, quam in Amanum profectus est; si non scivisset, certe non profectus esset. Conf. ad. Att. 5. 20. 3, ad. Fam. 15. 4. 7.

Demonstravi superiore loco, quo tempore, si celeri-

ter proficiscebantur tabellarii, Roma in Asiam delatae sint litterae; sed multo plurimae nimirum diutius erant in itinere. Antea feci mentionem duarum epistularum ad. Att. 5. 18. 19, scriptarum a. d. XI (?) Kal. Oct. et postridie; has Atticus iam acceperat, cum scriberet eam epistulam, cui Cicero respondet ep. ad. Att. 6. 1. Et quamquam ad eam rem, quam nunc sum tractaturus, sufficit id, quod initio epistulae legimus, de die acceptarum ab Attico litterarum, tamen, quoniam in commentatione mea perventum est ad hanc epistulam, non omittendam puto quaestionem, quando scripta sit.

Habet diei significationem in fine: „Post Leutricam pugnam die septingentesimo sexagesimo quinto.“ Jam pridem commentatores intellexerunt, hanc diei significationem esse eandem, quae legitur ad. Att. 5. 13. 1. „Ephesum venimus a. d. XI Kal. Sext. sexagesimo et quingentesimo post pugnam Bovillanam.“ Omnes consentiunt, illam Leutricam pugnam esse caedem Clodii, et hanc quoque pugnam Bovillanam omnes intellexerunt esse Milonis proelium cum Clodio in via Appia prope Bovillas. Unus Manutius mirum quantum erravit et sententiam protulit prorsus ineptam, putat enim Ciceronem significare luctationem illam, quae facta esset inter amicos, cum Attico valediceret. Hoc igitur tenendum est, esse sermonem de caede Clodiana. Et nostro quidem loco optime sese habet dierum ratio. Occisus enim est Clodius secundum Asconii testimonium ex ipsis actis depromptum a. d. XIII Kal. Febr. (18 Ian., non, ut putat Drumannus 20 Ian.; hic enim, ut fere semper accidit viro doctissimo, ut neglecta anni forma antecae-sariana in miras difficultates incurrerit chronologicas).

Asc. in Mil. p. 32, Cic. pr. Mil. 10. 27. Iam ratio haec est: de anno 702, qui habebat mensem intercalarem, ideoque dies sive 377, sive 378 Asc. in Mil. p. 37 Mommsen. Chron. Rom. p. 21, reliqui erant dies 360 vel 361; huc accedit annus integer 703 dierum 355, fiunt dies 715 vel 716; accedit insuper Ianuarius anni 704 dierum 29, fiunt 744 vel 745. Die igitur vicesimo primo, vel vicesimo altero post Kalendas Febr. scripta est epistula, id est aut a. d. III, aut a. d. IV Terminalia; et sane potest hoc die scripta esse; composuit enim eam Cicero post a. d. V Terminalia, quo die Attici epistulam accepit, cui respondet; et ante Liberalia, quibus fratri filio volebat togam puram dare §. 12. Ut constituamus, num a. d. III, an a. d. IV scripta sit, quaerendum est de altero dierum numero, qui legitur ad. Att. 5. 13. 1. Ephesum Cicero venit a. d. XI Kal. Sext., id est 22. Iul. Hunc diem secundum eam lectionem, quam nunc habemus in libris Bosii scidis, vel potius rectae falsarii coniecturae debitam Cicero dicit esse quingentesimum sexagesimum a pugna Bovillana. Reliqui sunt de anno 702, ut modo dixi

dies 360, vel 361;

accedit anni 703 mensis

Ianuarius dierum 29

Februarius 28

Martius 31

Aprilis 29

Maius 31

Iunius 29

et de mense Quintili dies . 21

fiunt dies vel 558, vel 559.

Si a. d. XI Kal. Sextiles 559 dies praeterierant, hic dies

re vera erat quingentesimus sexagesimus¹⁾, et omnia recte se habent; non ita si praeterierant 558 dies; sequitur igitur hinc, quod non inveni quemquam adhuc animadvertisse, ut mensis intercalarius anni 702 habuerit dies 23. Schuetzius (vol. 3. 44) cum crederet Pontederæ numeranti 555 dies, eo confugit, ut diceret, Ciceronem videri plenum numerum posuisse pro incompleto (abrunden); sed fugit eum, quod nemo sanus, si implet numerum 555, facere 560, sed 550; et insuper non animadvertit, totam hanc dierum numerandorum rationem, ut est omnino nugax et puerilis, ne puerilem quidem esse, si ne accurate quidem et recte numerantur dies. Ad altera verba ad. Att. 6. 1 explicanda Schuetzius ipse videtur dies numerasse, sed pervenit ad a. d. VI Kal. Mart., quam sententiam confutare non possum, quia calculi viam atque rationem non ostendit vir doctus. — Postquam hoc constitutum est, sequitur ut prima epistula sexti libri scripta sit a. d. IV Terminalia, postridie igitur, quam Attici epistulam accepit.

Quando haec, quam modo commemoravi, Attici epistula scripta sit, docent haec verba: ad. Att. 6. 1. 22. „Litterarum datarum prid. Kal. Ian. suavem habuit recordationem clarissimi iuris iurandi, quod ego non eram oblitus; magnus enim praetextatus illo die fui.“ Postquam ita lectio restituta est, non potest dubitari, quin Attici epistula, cui respondet Cicero, prid. Kal. Ian. anno 703 scripta sit. Hinc igitur cognoscimus, quo tempore litterae Laodiceam delatae sint (31 Dec. 703 —

¹⁾ De numerandi ratione conf. Mommseni notam Chron. Rom. p. 45.

19 Febr. 704) ex Epiro. Atticum autem eo tempore iam fuisse in Epiro docet eiusdem epistulae paragr. 11. „Sed scriberem de hoc ad te plura, si Romae esses;“ profectus erat in Epirum circa Kal. Sext. a. 703 ad. Att. 5. 18. 1. Litteras, quas Atticus recentissimas se habere scripserat prid. Kal. Ian., datas a. d. X Kal. Oct. (ad Att. 6. 1. 1, conf. 5. 19. 1) Cybistris, videtur aliquanto ante accepisse, quam suas scripsit; videtur enim miratus esse, cur tamdiu epistulam acceperit nullam et nonnullas proconsulis epistulas amissas esse suspicatus videtur interrogasse, num suae omnes delatae sint ad. Att. 6. 1. 1. Unam epistulam post admodum longum demum tempus sibi redditam esse queritur Cicero ad. Att. 5. 21. 1. „Eas Laodiceae denique, cum eo venissem III Id. Febr. Laenius mihi reddidit, datas a. d. X Kal. Oct.“ Non multum igitur abest, quin post quinque demum menses redditae sint.

De Syria exstant pauca litterarum allatarum exempla; satis celeriter pro longitudine itineris Ciceroni allatae sunt Cassii litterae, quae scripta erant Nonis Maiis ex castris non longe ab Apamea, quae est in Syria (ad. Fam. 12. 12). Respondet huic Cicero in epistula ad. Fam. 12. 10, scripta post pridie Kal. Quinct., sed non multo post hunc diem, etenim ut novi aliquid narrat Cicero, illo ipso die M. Lepidum hostem esse declaratum; non multo igitur pluribus, quam 50 diebus ex Syria epistula Romam pervenit. Altera, cuius mentio fit ad. Att. 14. 9, multo diutius fuit in itinere. Antistii enim Veteris litteras datas anno 709 prid. Kal. Ian. modo acceperat Balbus, cum scriberet Cicero epistulam

nonam libri 14 ad Atticum (16 — 18 Apr. vide p. 16). Paulo pluribus igitur, quam centum diebus delata est Veteris epistula.

§ 4.

A. Gabinio, eos 696, cum administrata per annos 697, 698, 699 Syria provincia ad urbem redisset, protinus complura iudicia imminebant: de maiestate, de ambitu, de pecuniis repetundis. Ne offenderetur a plebe irata, clam noctu urbem intravit a. d. IIII Kal. Oct. (27. Sept.). Ac primum quidem actum in eum est de maiestate; de huius iudicii tempore auctore Drumanno (3. 56. A. 76) nihil potest constitui, nisi ante a. d. IV Nonas Nov. causam esse iudicatam, ex Ciceronis enim verbis „de maiestate sciemus triduo“ nihil posse concludi: — posse aliquid ex hisce M. Tulli verbis concludi nec abesse multum, quin ad diem possit constitui iudicii tempus, quam potero accuratissime equidem sum demonstraturus.

Imprimis oportebit constitui, quo tempore scripta sit ea, in qua haec verba leguntur, Ciceronis epistula ad Q. fr. 3. 3. Quicumque eam vel obiter tantum legerit, eam scriptam esse intellet anno 700, cum Q. Cicero cum Caesare esset in Gallia et Britannia; quibus autem diebus scripta sit, concludam ex hisce verbis: „sed me illa cura sollicitat angitque vehementer, quod dierum iam amplius L intervallo nihil a te, nihil a Caesare, nihil ex istis locis, non modo litterarum, sed ne rumoris quidem affluxit.“ Jam quaeritur, quod temporis spatium in animo habuerit Cicero, cum verba faceret de quinquaginta illis diebus. Frustra de hac re consului Dru-

mannum (6. 735. A. 15), lapsu enim quodam calami accidit viro doctissimo, ut L illos dies numeraret a die decimo mensis Sext.; quod quam ineptum sit, intelleget, quicumque inspiciet tabulam epistularum hoc tempore Romam ex Britannia missarum. Sed antequam ipsam tabulam compono, disserendum mihi videtur de quibusdam Ciceronis verbis, quae ut recte intellegantur, non parvi momenti est ad recte componendam tabulam. Legitur enim ad Q. fr. 3. 1. 17: „Cum hanc epistulam complicarem, tabellarii a vobis venerunt a. d. XI Kal. Sept. vicesimo die.“ Haec verba non esse sana, iam ante Schuetzium est intellectum; qui enim potuit fieri, ut epistulam complicaret Cicero mense Sextili, cum in hac ipsa epistula narret res post Idus Septembres gestas. Itaque Schuetzius „Sept.“ mutavit in „Oct.“ secutus Manutium, alii „Sept.“ putaverunt uncis includendum. Sed neutra sententia mihi quidem probatur; non enim est credibile, scribas quamvis ineptos pro „Sept.“ legisse „Oct.“ Equidem puto eos nec mutasse aliquid, nec addidisse; mihi videtur scriptum fuisse:

„à. d. XI Kal., septimo vicesimo die,“
 hinc factum est: „a. d. XI Kal., sept. vicesimo die,“ et denique: „a. d. XI Kal. Sept., vicesimo die.“ Ei, qui hanc lectionem reformidant propter verbi formam ad severam artis grammaticae regulam minus accommodatam, aut meminerint, non raro hanc dicendi formam inveniri in epistulis (conf. ad. Fam. 10. 30. 1, 12. 25. 1, 15. 4. 10, ad. Att. 5. 19. 1, quae verba omnia legisti in superiore commentatione), aut putent, pusillam illam, quae „et“ significat, notam fugisse oculorum aciem, quod certe potius est credendum, quam scribas legisse Sept.,

cum scriptum esset Oct. Sed alia quoque de causa mea sententia mihi videtur praeferenda, et ideo vehementer miror, quod, quantum equidem scio, nemini adhuc venit in mentem, ita legere haec verba. Causa haec est: a. d. IIII Kal. Oct. Ciceroni redditur epistula Caesaris, scripta Kalendis Septembribus, id est vicesimo septimo die, altera, ut ex tabula patet, item vicesimo septimo, tertia undetricesimo, quarta tricesimo tertio; viginti dierum spatium, quod nostro loco invenimus, est perbreve. Sed aliud accedit: si XI Kal. Oct. epistula reddita est vicesimo die, scripta erat postridie eius diei, quo Caesar litteras supra dictas dedit ad Ciceronem, et epistula serius scripta octo diebus prius redditur Ciceroni. Multo aptius, si legimus „septimo vicesimo“; tum ommissa est, quod saepissime fit, mensis significatio, quae intellegitur ex reliqua epistula; scripta igitur Quinti Ciceronis epistula est a. d. VII Kal. Sept. et Romam pervenit a. d. XI Kal., scilicet Octobres.

Sequitur tabula epistularum:

Epistolae scriptae in Brit.	Romam pervenerunt.
1. a. d. IIII Id. Sext. (10 Aug.).	
2. a. d. VII Kal. Sept. (24 Aug.).	Id. Sept. (13 Sept.) ad. Q. fr. 3. 1. 13.
3. Kal. Sept. (1 Sept.).	XI Kal. Oct. (20 Sept.) ad. Q. fr. 3. 1. 17.
4. a. d. VI Kal. Oct. (25 Sept.).	IIII Kal. Oct. (27 Sept.) ad. Q. fr. 3. 1. 25. a. d. IX Kal. Nov. (24 Oct.) ad. Att. 4. 17. 3.

Ideo, quod in ep. 3 libri 3 mentio fit iudiciorum de Gabinio, non potest cogitari, nisi de eo tempore, quod eius adventum est secutum, post igitur a. d. III Kal. Oct. Sed non statim post hunc diem potest scripta esse, quia tunc deesset satis amplum temporis spatium ad collocandos illos quinquaginta dies, quorum supra feci mentionem. Hoc utut se habet, post mensem Octobrem nequit esse scripta, quoniam in quarta eiusdem libri narratur de absoluteione Gabini, scripta a. d. IX Kal. Nov. Intra hoc igitur temporis spatium necesse est collocari illos quinquaginta dies, nec id non potest fieri, dumne numeremus ab eo die, quo Cicero unam epistolam *accepit*, ad eum, quo ei allata est altera, sed ab eo, quo *scripta* est prior epistula. Iam spatium interpositum inter Caesaris epistolam scriptam Kal. Sept. et Q. Ciceronis scriptam VI Kal. Oct., Romam allatam IX Kal. Nov., paullo maior est L diebus. Porro constat post a. d. IX Kal. Nov., quo fratris epistolam se accepisse Cicero scribit Attico, nequit esse scripta; itemque constat, eam non posse scriptam esse post a. d. XI Kal. Nov., quoniam scribit Cicero in ea: „de maiestate sciemus triduo (übermorgen),“ in sequenti autem epistula scripta IX Kal. Nov. narratur de absoluteione. L dierum intervallum plenum erat vicesimo die Octobris; ipso vicesimo eam scriptam esse non est verisimile propter vocem „*amplius* dierum L.“ Restant igitur duo dies, vicesimus primus et vicesimus alter; si scripta esset vicesimo altero, actum esset de maiestate a. d. IX Kal. Nov. (24. Oct.), id quod non est verisimile; etenim eo die, quo quartam ep. scripsit Cicero, erat profecturus in Tusculanum, nec est veri-

simile iudicium tam brevi tempore fuisse confectum, ut eodem die tempus superesset itineris quamquam non longi commode faciundi¹⁾. Non potest igitur scripta esse epistula nisi die vicesimo altero, et hinc sequitur, ut Gabinius de maiestate absolutus sit triduo post, id est a. d. X Kal. Nov.

Quaeritur nunc de alterius indicii tempore, quo cum esset condemnatus, Gabinium constat profectum esse in exilium.

Primum statuendum est, omnes Ciceronis epistulas, quae post quartam leguntur in tertio libro ad Quintum fratrem, et post primam et ante alteram Gabinii causam iudicatam esse scriptas. Post primum iudicium scriptas esse epp. 5—7 et 9, ex eo apparet, quod non raro in eis fit mentio vel ipsius absolutionis vel defensionis a Cicerone recusatae ep. 5. 5. „Gabinium si, ut Pansa putat oportuisse, defendissem, concidissem.“ ep. 9. 1. „De Gabinio fuit nihil faciendum istorum etc.“ 9. 3. „Gabinii absolutio lex impunitatis putatur.“ C. Pansa cum Q. Cicerone fuit in Gallia ad. Fam. 16. 27. 2, antequam factus est tribunus pl. a. 703 ad. Fam. 8. 8; si Cicero, cum scriberet epistulam 5, iam audierat de Pansae sententia, necesse est, dies minimum triginta postquam Gabinius in urbem reversus accusatus est, scriptam esse ep. 5, non igitur ante Kalendas Nov.

In octava epistula commemorantur res a. d. VIII Kal.

¹⁾ Insuper Theodorus Mommsen me docuit, de die vicesimo quarto ideo non posse cogitari, quia eo die ludi fuissent ad Q. fr. 3. 4. 6.

Dec. gestae; scripta igitur est post hunc diem. Certe ante nonam epistulam scriptam Cicero non defendit Gabinium, et ne proximis quidem post eam diebus, quoniam, si iam scivisset Cicero, post paucos dies tamen se Gabinium defensurum, non tot verbis exposuisset, quanto opere sibi persuasum esset, Gabinium non fuisse defendendum. Habemus igitur quinque epistulas scriptas post primam causam iudicatam, ante alteram, nec probabile est unam celerrime scriptam esse post alteram, quia nimirum tabellarii in Britanniam non nimis crebro proficiscebantur. Si hoc consideramus, vix videtur credibile, alterum de Gabinio iudicium factum esse ante mensem Decembrem. Cum hoc congruit, quod discimus ex Ciceronis oratione, quae exstat pro Rabirio Postumo. Haec habita est post Gabinii damnationem de pecuniis repetundis, huius enim appendiculam eam appellat Cicero, et ante finem anni, iudicium enim exercebat idem Cato, qui Gabinium repetundarum damnarat Drum. 6. 73. 49, et erant eidem iudices, quod ipse Cicero testatur his verbis: „modo vos eidem in A. Gabinium iudices sedistis.“ Novi autem anni initio novi quoque iudices eligebantur. Conf. Dio. 54. 18. Permagnum Romae erat frigus, cum Cicero diceret pro C. Rabirio (pr. Rab. posth. § 42). „Sed sunt ceterae maioribus quasi theatris propositae et paene populares; castris locum capere, — —, aciem hostium profligare; hanc vim frigorum hiememque, quam nos vix huius urbis tectis sustinemus, excipere; his diebus hostem persequi, tum cum etiam ferae latibulis se tegant atque omnia bella iure gentium conquiescant.“ Si fides habenda est Delanauzii calculo, qui

conatus est annos antecaesarios Iuliani anni rationi accommodare, Idus Decembres veteris anni 700 respondent circiter Idibus Novembr. anni 700, secundum Iuliani anni rationem; tantum igitur frigus, ut verba modo allata apte adhibere posset Cicero, certe magis credibile est fuisse mense Novembri, quam mense Octobri, quo habita esset oratio, vi recte iudicasset Drumannus de mense Nov. secundum veterem anni formam. Huc accedit, quod nuntius de hiemali Caesaris expeditione, cuius mentio fit in verbis modo allatis, vix ante Kal. Dec. potest Romam allatus esse, a. d. VI Kal. Oct. a littoribus Britanniae Caesar litteras dederat ad Ciceronem; nec statim videtur profectus esse, invitus enim retentus est usque ad id tempus, quo aequinoctium imminebat b. g. 5. 23. Aequinoctio autem secundum Delanauzii sententiam respondet dies veteris anni 700 a. d. VII Id. Oct. Non multo igitur ante a. d. VII Id. Oct. Caesar in Galliam videtur pervenisse. Sequitur Samarobrivae concilium Gallorum, *quo confecto* Caes. b. g. 5. 24 legiones in hiberna collocantur. Per dimidium autem mensem fuerunt in hibernis, antequam Ambiorix eas aggressus est b. g. 5. 26. Vix igitur ante Idus Novembres poterat Romam mitti nuntius de nova seditione Gallorum, et hanc non est verisimile Romae notam fuisse ante Kal. Dec. Mense igitur Decembri anni 700 de pecuniis repetundis videtur damnatus esse Gabinius.

§ 5. *Excursus.*

Absoluta iam ea, quam susceperam quaestione, quoniam superiore loco dixi nonnulla de litterarum commercio inter Cassium et Ciceronem, non ab re mihi videtur, verba facere de loco quodam harum epistularum ad. Fam. 12. 2. 2, de quo adhuc desperarunt commentatores aenigma in eo esse confessi, cuius tamen explanationem equidem mihi videor invenisse. Postquam enim Cicero narravit de furore Antonii et de triumphum illorum consularium vel metu vel prudentia, qui tuto in senatum venire non possent, pergit sic: „Nec est praeterea, quod quidquam expectes; tuus enim necessarius affinitate nova delectatur. Itaque iam non est studiosus ludorum infinitoque fratris tui plansu dirumpitur. Alter item affinis novis commentariis Caesaris delentus est. Sed haec tolerabilia, illud non ferendum, quod est, qui vestro anno filium suum consulem futurum putet ob eamque causam se huic latroni deservire prae se ferat. Nam L. Cotta, familiaris meus, fatali quadam desperatione, ut ait, minus venit in senatum; L. Caesar, optimus et fortissimus civis, valetudine impeditur. Ser. Sulpicius et summa auctoritate et optime sentiens, non adest. Reliquos, exceptis designatis — ignosce mihi, sed non numero consulares; habes auctores consilii publici.“ Obscuri sunt tres illi homines, qui initio horum verborum afferuntur; primum esse M. Lepidum, iam pridem Manutius intellexit, cui recte assensi sunt omnes; tertius quis sit, nemo adhuc intellexit; quis sit alter, fortasse scivit Drumannus (1. 133);

sed cum de hoc nihil certi possit demonstrari, hoc loco de priore tantum agam. Quem intellegat virum Cicero ut inveniamus, primum quaerendum est, cuiusmodi homo sit quaerendus. Verba, quae sunt in fine „non numero consulares“, aperte docent, totam hanc narrationem esse de consularibus tantum hominibus. Et ne quis forte putet, haec verba ad L. Cottam tantum, L. Caesarem et sequentes esse referenda, meminerit, se Ciceronem ineptias facere dicentem, quippe qui tunc affirmet, se et se ipsum et L. Pisonem et P. Servilium, fortissimos sane consulares, non habere consulares; referenda igitur haec verba sunt ad omnes, de quibus in hac epistula locutus est Cicero, inde a commemoratione trium illorum consularium fortissimorum. Vox tamen consularis ita intellegenda est, ut non eos tantum significet, qui fuerunt consules, sed omnes, qui consulari loco sententiam dicebant in senatu, id est praeter eos qui consules fuerunt, consules designatos; hoc ita esse, docet Hirtii et Pansae commemoratio. Certe igitur hi duo homines, quos quaerimus, sunt in consularibus; quaerendus est porro, qui filium habeat aptum, qui consulatum potuerit sperare in eundem annum, in quem Brutus et Cassius. In vivis erant anno 710 consulares hi:

fortasse vixit: P. Servilius Vatia Isauricus
cos. 675, qui hoc ipso anno obiit Dio. 45. 16.

Certe vixerunt hi:

1. C. Cassius Varus cos. 681. App. b. c. 4. 28.

Drum. 2. 117.

2. L. Aurelius Cotta cos. 689.

3. L. Iulius Caesar cos. 690.

4. M. Tullius Cicero cos. 691.
5. C. Antonius cos. 691 cens. 712.
6. L. Calpurnius Piso Caesoninus cos. 696.
7. L. Marcius Philippus cos. 698.
8. Cn. Domitius Calvinus cos. 701.
9. Ser. Sulpicius Rufus cos. 703.
10. C. Claudius Marcellus cos. 704.
11. L. Aemilius Paullus cos. 704.
12. P. Servilius Isauricus cos. 706.
13. Q. Fufius Kalenus cos. 707.
14. P. Vatinius cos. 707.
15. M. Aemilius Lepidus cos. 708.
16. C. Trebonius cos. 709.
17. C. Caninius Rebilus cos. 709.
18. A. Hirtius cos. 711.
19. C. Vibius Pansa cos. 711.

Ex his statim omittendi sunt ei, qui in eadem hac epistula commemorantur, et Cicero et M. Antonius, ei igitur, qui numeros habent: 2, 3, 4, 6, 9, 12, 15, 18, 19. Omittendus porro est C. Cassius Varus, qui vel propter summam senectutem, vel ob aliam aliquam causam a publicis negotiis plane vixit remotus, nunquam enim commemoratur in rerum his annis gestarum narratione. P. Isauricus pater, si modo hoc tempore erat in vivis, tamen non potest esse intellegendus; eius enim filius iam erat consularis et pater propter summam senectutem („*ὑπεργήρως*“ Dio l. c.) negotiis publicis non iam videtur interfuisse. Omittendus est porro C. Marcellus, quem plane remotum vixisse a republica administranda expressis verbis traditum est ad. Att. 16. 14. 2, 15. 6.

Drum. 2. 401; insuper eius filius insequenti demum anno natus est. Item C. Antonius non potest fuisse is, quem Cicero habuit in animo, quia a republica per hoc tempus ita vixit remotus, ut viri docti hoc tempore eum etiam fuisse in vivis negaverint; sed docuit Mommsenus, eum fuisse illum censorem anni 712, cuius praenomen antea ignorabatur. Iam qui sint ei, quos Cicero dicit, se non numerare consulares, et per se non est obscurum (sunt enim ei Caesaris asseclae minus nobiles et clari, qui Caesare demum dominante ad consulatum pervenerunt), et testatur ipse Cicero ad. Fam. 10. 6. 3. „Complures in perturbatione rei publicae consulares dicti, quorum nemo consularis habitus, nisi qui animo exstitit consulari.“ Sunt igitur ei, qui ab a. 706 usque ad annum 710 consules fuerunt, praeter Isauricum et Dolabellam, qui animo exstiterunt consulari, et M. Lepidum, hominem nobilissimum, qui interrex (702) et praetor (705) iam fuerat ante bellum civile; Cn. Domitium Cicero sane potest in animo habuisse, sed non est nimis probabile, nam nec scimus, num filium habuerit, nec si habuit, num consulatum potuerit sperare in annum 713. Item minus credibile est, Ciceronem intellexisse L. Paullum; qui filium quidem habuit, consulem anni 720 Drum. 1. 11; sed filius, cum sedecim annos post patrem consul fuerit aperte aetate minime provecta pervenit ad consulatum et vix credibile est, eum iam decem annos ante consulatum fuisse praetorem. Restat L. Philippus, quem procul dubio censeo intellexisse Ciceronem. Fuit hic vitricus Octaviani Suet. Oct. 9 et ob eam causam affinitatis vinculo coniunctissimus Caesaria-

nis; itaque vehementer eum vituperavit Cicero, cum legatus missus esset a. 711 ad M. Antonium cum Ser. Sulpicio et L. Pisone ad. Fam. 12. 4. 1. Habuit hic filium, qui fuerat tribunus plebis a. 705 Caes. b. c. 1. 6, praetor autem fuit a. 710, id est eodem anno, quo Cassius et Brutus, nimirum igitur eodem anno, quo illis, licebat ei petere consulatum. Praetor expressis verbis nusquam appellatur, sed appellatur in eorum virorum serie, qui provincias, quas acceperunt in a. 711 vel deposuerunt, vel retinuerunt. 3. Phil. 10. 25. Sunt haec verba corrupta quidem, imprimis parum constat, quid sit, quod M. Antonius appelletur in serie praetorum; sed nonnullos ex eis, qui illic appellantur, aliunde constat fuisse praetores, ut C. Antonium Dio 45. 9, et L. Cinnam Dio 44. 50. App. b. c. 2. 126, et si de quindecim illis nominibus detraxeris M. Antonium consulem, addideris M. Brutum et C. Cassium, efficiuntur sedecim, id est legitimus huius anni praetorum numerus Drum. 3. 672; verisimile igitur est, habere nos in his verbis laterculum praetorum anni 710, L. Philippum igitur hoc anno fuisse praetorem. Mirandum est, quod Drumannus (4. 234. 73) eum errorem commisit, ut putarit hoc loco 3. Phil. 10. 25 appellari Philippum patrem; facit enim ita senem consularem duodecim annos post consulatum iterum praetorem, nisi forte vir doctissimus recta intellexit, in verbis tantum eligendis minus caute egit Drum. 4. 234. 73. Alter igitur eorum, quos Cicero intellexit, est L. Marcius Philippus, cos. 698.

§ 6. *Tabula.*

Epistula scripta		pervenit		
1.	Romae	in Tusculanum eodem die.
2.	—	Antium eodem die.
3.	—	— — — altero die.
4.	—	XV Kal.	Atinam	XI Kal. quinto die.
5.	—	XII Kal.	— — —	XI Kal. altero die.
6.	—	V Kal.	Arpinum	IV Kal. altero die.
7.	—	pr. Kal. Mai	in Pompeianum	V Non. Mai quarto die.
8.	—	Non. Mai	— — —	VI Id. Mai quarto die.
9.	—	— — —	Non. Mai quarto die.
10.	—	— — — sexto die.
11.	—	XIII Kal. Mai	— — — septimo „denique“ die.
12.	—	— — —	VIII Id. tertio die, „sane celeriter.“
13.	—	Kal. Nov.	in Puteolanum	Non. Nov. quinto die.
14.	—	prid. Kal. Nov.	— — —	Non. Nov. sexto die.
15.	Lanuvii	VII Id. Mai	— — —	V Id. Mai tertio die.
16.	— ?	Non. Mai	— — — quarto die.
17.	Luceriae	IV Id. Febr.	Formias	ante XV Kal. Mart. quinto? die.
18.	Formiis	XV Kal. Mart.	Canusium	ante X Kal. Mart. sexto? die.
19.	Canusii	X Kal. Mart.	Formias	III Kal. Mart. octavo die.
20.	in Sicilia	Romam septimo die.
21.	Brundisii	Romam sexto die.
22.	in foro Gallorum .	XVI? Kal. Mai	— — —	X Kal. Mai. septimo? die.
23.	Mutinae	— — — sexto die.
24.	—	a. d. V Kal. Mai	— — —	ante IV Non. Mai. non post octavum diem.
25.	Romae	Id. Mart.	in Galliam sept. non post duodec. diem.
26.	in Gallia septentr.	Romam vicesimo primo die.
27.	Romae	XIII Kal. Apr.	in Galliam Lugd. nono? die.
28.	in Britannia	IV Id. Sept.	Romam	Id. Sept. tricesimo tertio die.
29.	— —	VII Kal. Sept.	— — —	XI Kal. Oct. vicesimo septimo.
30.	— —	Kal. Sept.	— — —	III Kal. Oct. vicesimo septimo.
31.	— —	VI Kal. Oct.	— — —	IX Kal. Nov. vicesimo nono.
32.	prope Mundam . . .	Liberal.	— — —	prid. Parcl. tricesimo quinto.
33.	Romae	in Hispaniam	circiter quadragesimo.
34.	Romae	in Hispaniam vicesimo quarto die.

Epistula scripta		pervenit			
35.	in Africa	Romam	Literal.	vicesimo primo.
36.	Dyrrhachii	Kal. Apr.	— — —	VI Id. Apr.	octavo die.
37.	Patris	Id. Nov.	Brundisium	V Kal. Dec.	quinto decimo.
38.	Romae	Athenas	pr. Id. Ont.	vicesimo primo, strenue.
39.	—	— — —	quadragésimo sexto.
40.	in Graecia	Id. Febr.	Romam	III Id. Mai.	
41.	Romae	IV. Non. Sext.	in Ciliciam	XI Kal. Oct.	quadragésimo septimo.
42.	Cybistris	X Kal. Oct.	in Epirum	prid. Kal. Iun.	
43.	Romae vel in Epiro	X Kal. Oct.	Laodiceam	III Id. Apr.	
44.	in Epiro	pr. Kal. Ian.	— — —	V Termin.	quinquagesimo circiter.
45.	in Syria	Non. Mai	Romam	paullo post Kal. Quinct.	quinquagesimo circiter.
46.	— —	pr. Kal. Ian.	— — —	circa Id. Apr.	centesimo circiter.


V I T A.

Ego Andreas Georgius Guilelmus Carolus Bardt natus sum patre Carolo, matre Ida e gente Neumanniana anno MDCCCXLIII pridie Kal. Dec. in praedio patris, cui nomen est Lubosz in provincia Posnaniensi. Decem annos natus traditus sum gymnasio Vratislawiensi, quod est ad sanctae Mariae Magdalенаe. Maturitatis testimonium nactus post octo annos migravi Berolinum et exeunte anno MDCCCLXII receptus sum in numerum civium academicorum a Beselero, illo tempore fascis academicos tenente; in hac nostra universitate audivi per octo semestria Boeckhium, Droysenum, Friderichsium, Geppertum, Hauptium, Hothonem, Huebnerum, Mommsenum, Mullachium, Muellenhoffium, Wagenum, Werderum; interfui praeterea per septem semestria exercitationibus historicis Mommseni, cui quidquid profeci in rerum Romanarum scientia, grato animo me debere profiteor.

THESES.

- I. L. Licinius Murena cos. 692 non videtur fuisse aedilis.
 - II. Male putant, Catulli Lesbiam esse illam Clodiam, quae uxor erat Q. Metelli Celeris cos. 694.
 - III. Ortalus, ad quem scriptum est Catulli carmen 65, non est Q. Hortensius cos. 685.
 - IV. Errant, qui dicunt, ante Sullae tempus octo tantum pontifices fuisse in collegio.
 - V. C. Antonius cos. 691 non fuit tribunus plebis, ut vulgo putabatur, anno 682, sed a. 683.
 - VI. Historiam puto scribendam esse et cum ira et cum studio.
-

LIBRARY OF CONGRESS



0 003 073 952 8

